

terea ex usu humanarum legum manifeste convincitur hæc potestas, nam in l. ultim., c. de *Judeis*, Justinianus prohibuit ne Judæi officia publica gererent respectu fidelium; idem Innocentius III, in cap. *Cum sit nimis*, de *Judeis*, ubi etiam pœnam imponit Judæis acceptantibus vel gerentibus talia munera, et fit extensio ad paganos, id est, Sarracenos, ut intelligitur ex capite penultimo ejusdem tituli, in quo hujus legis observantia nominatim Lusitanæ commendatur; et additur, ut tributa sua vel regalia non vendat Judæis, nisi adjuncto aliquo fidei, qui curam habeat, ne fidelibus injuria fiat. Habetur etiam simile jus in Concilio Toletano III, cap. 14, cap. *Nulla*, distinct. 24; et in Concilio Toletano IV, cap. 64, cap. *Constituit*, 17, quæst. 4, ubi excommunicantur qui hæc munera Judæis committunt; et ratio redditur, quia sub hac occasione fidelibus injurias faciunt. Denique idem habetur in Concilio Matiscon. I, c. 13.

14. *Quinta assertio: fideles non possunt esse servi infidelium qui subditi sunt Ecclesiæ, vel principi fidei.*—Secundo, de servitute dicendum est, fideles non posse esse servos horum infidelium, ac proinde potuisse Ecclesiam privare infideles sibi subditos potestate hoc modo super fideles. Ita etiam statuit Justinianus imperator in lege unica, codice *Ne Christianum mancipium*, etc. Et idem statuitur in cap. *Judei*, de *Judeis*. Idem statuit Gregorius, lib. secundo, epist. 37, alias cap. 76, et cap. *Mancipia*, et cap. *Nulla*, cum aliis, dist. 34. Ratio specialis sumi potest ex periculo ipsorum fidelium, si sub dominio infidelium esse permittantur. Item quia inde possunt oriri occasiones blasphemandi, et contemnendi fidem, et faciendi injurias fidelibus. Quæ rationes ad indirectam potestatem magis pertinent; addo vero etiam hoc pertinere ad potestatem directam principum christianorum. Primo, quia potest rex christianus generaliter statuere in suo regno, ut christiani non sint servi etiam aliorum christianorum, ut multa regna nunc etiam observant, quia licet potestas civilis non sit ex fide, tamen quando illi est conjuncta, ab illa dirigitur, et quasi elevatur, ut in ordine ad bonum fidei multa possit statuere; ergo multo magis potest illam legem ferre respectu infidelium. Secundo, quia potest rex imponere tributa et onera suis subditis, quæ ad bonam gubernationem judicet esse necessaria; ergo etiam potest imponere hoc onus infidelibus subditis, ut non sint capaces domini in Christianos. Atque ita statu-

tum est, ut si infidelis, servus alterius infidelis, convertatur ad fidem, eo ipso liber fiat, et similiter si fidelis ab infideli ematur in servum ad servitutem, eo ipso liber fiat, et emptor pretium amittat; si vero ematur ad mercaturam, intra tres menses vendatur fidei, alioquin libertatem consequatur. Ita habetur in lege ultima, codice de *Judeis*, et in lege ultima, § ultimo, codice de *Episcopis et clericis*. Advertunt autem circa hoc Canonistæ, cap. *Multorum*, de *Judeis*, per hæc non prohiberi quin fidelis possit esse colonus, sive adventitius, sive originarius, in terris vel prædiis hominis infidelis; tum quia hoc colligitur ex dicto capite; tum etiam quia non est servitus, et ita non comprehenditur sub prædicta prohibitione; tum denique quia in colonis non est eadem ratio periculi vel scandali, cum non sit cohabitatio, neque frequens familiaritas inter fidelem et infidelem ratione illius muneris.

15. — *Sexta assertio: Ecclesia jubere potest ne fideles infidelibus sibi subditis famulentur, et de facto jubet.*—Tertio, de famulatu dicendum est eandem esse potestatem in Ecclesia prohibendi ne fideles inserviant infidelibus, etiamsi liberi sint. Hoc facile probari potest applicando rationes factas, quod est facile, et ideo illas omitto. Idem etiam confirmatur usus; nam in dicto § ultimo, codice de *Episcopis et clericis*, ita statuitur et ad paganos extenditur, in capit. *Ad hæc*, de *Judeis*, ubi exprimuntur Sarraceni. Denique quod attinet ad patriam potestatem, certum est filium infidelis, si semel baptizetur, eo ipso liberandum esse a potestate patris infidelis, propter securitatem fidei, et quia ratione baptismi jam pertinet ad jus Ecclesiæ, et ita declaratum est in Conciliis Toletanis supra citatis, et probatur in capit. *Majores*, de *Baptismo*. An vero filii infantes horum infidelium subditorum baptizari possint ipsis invitis, et ad hunc finem ab illis abstrahi, quæstio est controversa, quam in tomo tertio tertiæ partis, disp. 23, sect. 4, 5 et 6 tractavi, ubi videri potest.

SECTIO VI.

Utrum omnis alia communicatio infidelium cum fidelibus prohibita sit, vel prohiberi possit.

1. *Triplex communicatio fidelis cum infideli.*—Triplex communicatio distinguenda est:

una dici potest formalis, id est, in operibus infidelitatis; altera est in operibus nostræ religionis, quæ quodammodo accedit ad formalem; tertia est mere civilis et humana, quæ respectu fidei et infidelitatis omnino materialiter se habet.

2. *Prima in crimine infidelitatis jure naturali prohibita.*—*Probatur ratione.*—De prima certum est esse prohibitam jure divino et naturali, quæ prohibitio per se primo cadit in hominem fidelem; tamen etiam potest pertinere ad ipsum infidelem, vel quia ipsa infidelitas prohibita est, vel etiam quia per se malum est inducere hominem fidelem ad talem communicationem, seu cooperationem; præcipue vero ad nos pertinet prohibitio fidelium, quibus dicitur 1 ad Corinth. 6: *Quæ est communicatio lucis ad tenebras, aut templi Dei cum idolis, seu quæ pars fidelis cum infideli?* Idem docuit Paulus in c. 10 ejusdem epist.: *Nolo vos fieri socios dæmoniorum*; et applicari potest illud 2 ad Corinth. 6: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*; eadem prohibitio est generalis, et, quoad specialia multa, habetur in sacris canonibus 69 et 70 Apostolorum; 61, 62, Trulano, post sextam Synodum; in 74 usque ad 75, ex collectione Martini, Bracharensis episcopi, quæ habetur post Concilium II Bracharense, et in Concilio Laodicæno, canone 37 et seqq., cap. *Non liceat*, 26, quæst. 5. Ratio vero est, quia talis communicatio et est superstitiosa contra religionem, et est contra confessionem fidei. Unde hic accommodari possunt omnia supra dicta de confessionis fidei necessitate, et dicta contra peccatum superstitionis, in tomo 1 de Religione, tractatu 3, lib. 2. Solum annotare oportet non solum veram communicationem, sed etiam speciem et moralem suspicionem illius esse vitandam, qualis esset frequentare synagogas, aut templa infidelium, præsertim eo tempore quo suos ritus celebrant, quia potest generare scandalum et dare occasionem suspicionis quod illa placeant vel approbentur. De quo videri potest Azor, tomo primo, lib. 8 Institutionum, cap. 22, quæst. 3, et libro 9, capit. 11, quæst. 3, et quæ dixi in Defensione fidei, libro 6, capite 9, ubi etiam annotavi multo magis esse vitandam omnem cooperationem. Est autem in particulari difficile discernere an sit cooperatio necne, ut si vendantur Judæo aut gentili animalia, vel aliæ res necessariae ad sua sacrificia; sed in hoc servanda est regula, quod si res non possit habere bonum usum, tra-

ditio illius sit cooperatio; si tamen habere possit licitum usum, et de se sit indifferens, per se loquendo non sit cooperatio, ut in secunda secundæ, quæstione decima, articulo quarto, tradidit Cajetanus; et est conformis D. Thomæ eadem secunda secundæ, quæstione 169, articulo secundo, ad quartum; consentiunt Sylvest., Angelus, et alii, verbo *Infidelitas*, et in dicto capite nono aliqua de hac re dixi, et plura in materia de Sacramentis in genere, et de Juramento, et aliis locis; nam hæc quæstio valde generalis est.

3. *Secunda communicatio in divinis aliquando est jure naturali prohibita.*—*Aliquando non ita.*—Secunda communicatio infidelium cum fidelibus in rebus divinis et operibus nostræ religionis, aliquando est jure divino et naturali prohibita, tanquam intrinsece mala. Hujusmodi est admittere infidelem ad participationem Sacramentorum, quod quidem per se et directe prohibetur fidelibus, tamen etiam ipsis infidelibus prohibitum est sese ingerere. Unde si per vim id faciant, possunt tanquam injuriosi religioni christianæ puniri. Et ad hanc partem revocari potest prohibitio contrahendi matrimonium cum infideli; nam, licet infidelis conversus ad fidem possit in priori matrimonio permanere cum infideli sine contumelia creatoris conversante, nihilominus homini fidei et baptizato prohibitum est matrimonium cum infideli contrahere, ut ex materia de matrimonio suppono. Verum est quidem hanc prohibitionem ecclesiasticam esse potius quam divinam; facta autem videtur non solum propter periculum, sed etiam propter reverentiam matrimonii, quod inter fideles ad rationem sacramenti elevatum est. Unde aliæ etiam communicationes hujusmodi jure humano prohibitæ sunt, ut est prohibitio ne infideles permittantur adesse sacrificio missæ, nec sacramentum Eucharistiæ videre, ut ex Dionysio, cap. 7 de Ecclesiast. hierarch., tradit D. Thomas, 3 part., quæst. 80, art. 4, ad 4, et habetur etiam apud Clementem, lib. 8 Constit., cap. 8 et 12, ubi late Turrian., et in Concilio Carthaginens. IV, c. 84; et habetur in cap. *Episcopus*, de Consecrat., dist. 4, ubi permittuntur infideles adesse in ea parte missæ quam vocant catechumenorum; et multo magis permittuntur concioni sacræ ad ipsorum utilitatem, sicut etiam licet pro eis privatim orare, vel etiam docere eos mysteria religionis. Hic autem occurrebat quæstio, quam D. Thomas tractat, dicta quæst. 10, art. 7,

an disputatio de rebus divinis cum his infidelibus licita sit, quam reservo in disputationem 20, sect. 1, ubi idem de hæreticis inquiramus, quia eandem habet rationem. Nunc breviter dico per se non esse malam, cum ad conversionem illorum sæpe sit necessaria; oportet autem cum debitis circumstantiis fieri, de quibus in prædicto loco.

4. *Tertia communicatio in civilibus per se non est mala, nec jure divinos prohibita, per accidens vero esse potest.* — Tertia communicatio est civilis, seu humana, de qua præcipue hic agimus; et tria de illa breviter dicenda sunt. Primum est hujusmodi communicationem per se malam non esse, nec jure divino prohibitam; hoc certum est, nam Paulus, 1 ad Corint. 7, permittit omnem domesticam et humanam communicationem fidei conjugii cum infideli: et in eadem epistola, cap. 10, permittit fidelem manducare cum infideli ipsum invitante; quod notat Chrysostomus ibi, homilia 25, et in homilia etiam 25, super ad Hebræos; et D. Thomas, art. 9; præterea non expediebat talis prohibitio generaliter facta, quia fere impossibilis redderetur conversio infidelium, vel ex parte prædicantium; quomodo enim possent ad illos docendos accedere, nisi prius humano modo illos tractarent? et ideo illis non tantum non prohibetur hæc communicatio, sed etiam consulitur, cap. *Quam sit laudabile*, de Judæis, et cap. *Fratris*, 11, q. 1, ex Gregorio, libro 3, epistol. 26; vel etiam ex parte ipsorum infidelium; quomodo enim posset pater converti ad fidem, et statim separari omnino a conversatione filiorum, vel totius familiæ, vel etiam amicorum? Hæc ergo communicatio per se mala non est, nec prohibita invenitur jure divino; solum ex vi naturalis et divini juris, tenetur unusquisque fidelis eam communicationem vel familiaritatem humanam cum infidelibus vitare, quæ vel periculum ipsi afferat, vel aliis sit in scandalum; quod constat ex generalibus principiis; in particulari vero ex circumstantiis et prudentia pendet.

5. *Prohiberi tamen potest jure ecclesiastico.* — Unde secundo dicendum est posse Ecclesiam hanc communicationem prohibere fidelibus cum infidelibus. Hoc manifestum est, quia ad hanc legem ferendam non deest jurisdictio; materia etiam est capax talis prohibitionis, quia potest esse conveniens ad pacem vel securitatem fidelium. Unde considerandum est hanc prohibitionem regulariter cadere per se ac directe in solos fideles, ut notavit D. Tho-

mas 2, 2, quæst. 10, art. 9; quia illi sunt proprii subditi Ecclesiæ. Addendum vero est etiam posse hanc legem imponi directe infidelibus subditis, vel in pœnam alicujus delicti, ut fit in multis juribus statim citandis, vel quia ita expedit ad bonum regimen externum talis reipublicæ, vel etiam propter securitatem fidelium; et hinc aliquando potest princeps christianus, etiam externis, et non subditis infidelibus, prohibere commercium in regno suo propter bonum religionis.

6. *Imo prohibita de facto familiaritas cum Judæis.* — Tertio, dicendum est de facto multa esse prohibita in hoc genere communicationis ab Ecclesia. Et primo quidem in genere prohibita est familiaritas cum Judæis, cap. *Ad hæc*, de Judæis; imo in Concilio Toletano IV, cap. 61, videtur prohibita in universum omnis conversatio et communicatio cum illis. Sed ibi non est sermo universaliter de omnibus fidelibus, sed de noviter conversis ad fidem ex ipsismet Judæis, quibus propter periculum prohibetur conversatio cum suis in judaismo perseverantibus. Unde illud intelligendum est de conversatione frequenti aut diuturna, quæ periculum creare possit. Atque ita ex D. Thomas, Sylvestro, et aliis, hanc generalem prohibitionem limitat Sancius, lib. 2 in Decalogum, cap. 31, ut locum non habeat in his fidelibus, qui sunt firmi in fide, in quibus morale periculum timeri non potest. Verum tamen si prohibitio legis generalis est, non cessat in particulari, etiamsi finis legis negativus tantum in tali persona cesset, ut ex materia de legibus suppono; et ideo existimo habere limitationem locum in his personis, quibus immixta cura conversionis talium infidelium; nam tunc cessat finis legis, non tantum negativus, sed etiam contrarie.

7. *Deinde speciatim cohabitatio.* — Item cum iisdem convivari. — Secundo, in particulari prohibetur cohabitatio in eadem domo cum Judæis, cap. *Nullus*, 18, quæst. 1, capit. *Judæi*, 2, de Judæis. Ratio autem est propter vitandum periculum. Objici vero potest, quia Christianus potest habere servum infidelem; ergo, potest cohabitare cum illo. Antecedens habetur in cap. *Etsi Judæis*, de Judæis. Respondetur vel hanc esse limitationem prioris prohibitionis, vel certe dominum proprie non debet cohabitare cum servo, sed e converso, unde illum talis prohibitio non comprehendit, vel saltem ad propriam cohabitationem requiritur quamdam æqualitatem societatis et familiaritatis. Unde hanc etiam vitare debet dominus

fidelis cum servo infideli, juxta alia supra citata jura. Tertio, prohibetur fidelibus vel invitare infidelem, vel ad ejus convivium accedere, quia hæc etiam est periculosa familiaritas, et specialiter fit hæc prohibitio de Judæis in Concilio Aureliano III, c. 23, et in Concilio Agathensi, cap. 40, cap. *Omnes*, 28, q. 1, et redditur specialis ratio, quia Judæi discernunt cibos, quod non licet Christianis; hæc autem convivia specialiter permittuntur prædicatoribus missis ad infidelium conversionem, cap. *Quam sit*, de Judæis. Quarto, specialiter prohibetur Christianis in iisdem juribus, et in canonibus Apostolorum supra citatis, azyma Judæorum manducare, quod per se malum est, si intelligatur de manducatione ritu Judaico; tamen propter suspicionem et periculum, etiam intelligitur hæc prohibitio de quacunque manducatione azymorum cum ipsis Judæis, vel accipiendo illud ab ipsis: secluso autem scandalo, et præsertim interveniente necessitate, non est prohibitum hunc tanquam communem panem manducare, sicut de idolotitis dicitur, in cap. *Sicut satius*, 32, q. 4.

8. *Item illos in infirmitate advocare.* — Item ex conducto ad balneum convenire. — Item infantes Judæorum nutrire. — Quinto, prohibetur Christianis ne in infirmitate Judæos advocent, utique curationis causa, in sexta Synodo, cap. 11, cap. *Nullus*, 28, q. 1, quod potuit prohiberi non solum ratione specialis animæ periculi, sed etiam ob corporale vitandum, et ideo etiam additur ut ab eis medicinam non recipiant, quod præcipue intelligitur ut non recipiant per manus et ministerium eorum, propter vitandam familiaritatem et periculum; hæc autem et similia extra necessitatem intelligenda sunt, quia necessitas caret lege. Additur sexto ut Christiani cum Judæis simul in eodem balneo non laventur, ut dicitur in dicto cap. *Nullus*, quod intelligendum est per se, id est, una cum illis incedendo, seu ex intentione conjunctim id faciendo, quia tunc intervenit propria societas et familiaritas quæ in his omnibus maxime prohibetur, propter periculum; et ideo si per accidens contingat ad hujusmodi locum accedere, quando alius ibi lavatur, non procedit prohibitio, neque tunc Christianus commoditatem suam omittere aut differre cogitur. Septimo, notari potest specialiter prohiberi feminis christianis ne sint nutrices infantum Judæorum, cap. *Ad hæc*, de Judæis. Adduntur autem hæc verba: *In domibus eorum*, scilicet Judæorum, atque ita solum videtur hæc prohibitio fieri propter coha-

bitationem. Unde colligi potest non esse prohibitum christianæ feminæ nutrire in domo sua propria infantem Judæum, quia verba legis hoc non comprehendunt, et non videntur extendenda. Sed, licet hoc ex verborum rigore ita sit, nihilominus propter familiaritatem, et specialem affectionem quæ, moraliter loquendo, inde contrahi solet, hoc etiam vitandum est.

9. *Item Judæos hæredes vel legatarios instituere.* — Octavo, prohibentur fideles ne in testamentis suis Judæos hæredes vel legatarios suos instituant. Ita docent Canonistæ, in cap. *Judæi*, 2, de Judæis, specialiter Felin., n. 3, Glossa ibi, et Sylvest., verbo *Judæus*, q. 1; citatur l. 1 Cod. de Judæis; ibi tamen solum fit prohibitio respectu universitatis Judæorum, id est, communitatis; quæ autem sic prohibentur non solent extendi ad singulos, ut ibi Glossa notat. Tamen in hac materia extensio admittitur in favorem fidei et religionis. Citatur etiam caput *Si quis Episcopus*, de Hæreticis, et cap. ult., 24, q. 2, in quibus specialiter hoc præceptum imponitur Episcopis, et in cap. *Inter eos*, de Hæreticis, extenditur ad clericos; Doctores autem extensionem faciunt ad omnes Catholicos, vel a paritate rationis, vel certe a fortiori; et ita observandum est, præsertim quia generaliter cautum est, ne Christiani suffragium vel favorem hujusmodi Judæis faciant. Ita Concilium Toletanum IV, cap. 57. De quibus et aliis similibus observare oportet tam ex materia, quam ex fine, has prohibitiones esse graves, et obligare sub mortali ex genere suo, quamvis ex levitate materiæ possit interdum transgressio esse venialis. Cumque hujusmodi prohibitio sit de jure communi, regulariter non possunt in ea dispensare Episcopi. In aliquo autem particulari casu, ubi necessitas instaret, essetque periculum in mora, posset id facere Episcopus, juxta generalem doctrinam de legibus.

10. *An hæc prohibitiones ad omnes infideles extendantur.* — Ultimo circa has leges interrogari potest an sint universaliter intelligendæ de omnibus infidelibus, vel tantum de Judæis. Et ratio dubitandi est, quia jura citata loquuntur nominatim de Judæis. Propter quod aliqui sentiunt non esse extensionem faciendam, cum leges sint pœnales, et ratio specialis reddi solet, quia Judæi non solum sunt subditi, sed etiam servi, juxta cap. *Et si Judæi*, de Judæis, quod Hostiensis ibi de propriis mancipiis intelligit, quem aliqui Summistæ sequuntur. Sed certe in illo textu hoc

non dicitur, sed asseritur Judæos quidem ex se meruisse hanc servitutem, tamen de facto esse tributarios, et subditos civiliter subjectos, ut ibi notat Panorm., et exposuit D. Thomas 2. 2, q. 10, a. 12, ad 3, et 3 p., q. 68, a. 10, ad 2; Soto, in 4, dist. 5, art. 10, ad 2. Propria ergo ratio esse censetur, quia in communicatione cum Judæis majus periculum datur propter majorem eorum pertinaciam, et christianæ religionis odium. Nihilominus tamen existimo dictas prohibitiones extendi etiam ad Sarracenos, seu Mahometanos, quia talis extensio sæpe exprimitur in jure, l. ultima, § ult., C. de Episcopis et clericis, c. *Ad hæc*, c. *Cum sit nimis*, c. *In nonnullis*, et c. ult., et c. *Judæis*, 2, de Judæis: tum etiam quia in ratione est æquiparatio, quia etiam isti infideles sunt hostes Christianorum, et eorum perversionem totis viribus procurant. Quoad alios vero infideles gentiles non videtur facta comprehensio in his juribus, ut notavit Sancius, in dict. c. 31, n. 25, cujus sententiam in hac parte probo. Et plura de his prohibitionibus videri possunt in jurisperitis super dicta jura, et in Summistis, verbo *Judæus*, et D. Antonin., 2 p., tit. 12, cap. 3, necnon in Azor. et Sancio, in locis citatis, qui plures alios referunt; et hactenus de infidelitate.

DISPUTATIO XIX.

DE INFIDELIBUS APOSTATIS, SEU HÆRETICIS, ET
IMPRIMIS DE CULPA EORUM, QUÆ EST HÆRESIS.

Quis dicatur apostata proprie et specialiter.

— Reduxi in superioribus infideles omnes ad duo capita: unum est eorum qui fidem catholicam nunquam professi sunt, et ideo non apostatæ vocantur, de quibus in præcedentibus ultimis disputationibus late disserui; aliud est eorum infidelium, qui post fidem aliquando receptam illam deseruerunt, seu sectando errores illi contrarios corruperunt, qui propterea infideles apostatæ, et generali nomine hæretici vocantur, de quibus modo nobis disputandum est. Notavi autem in superioribus, proprio et speciali modo apostasiam a fide committere illum, qui post baptismum receptum, quæ est peculiaris fidei professio, et janua Ecclesiæ, fidem relinquit, et ab Ecclesia per infidelitatem separatur. Nam licet contingere possit catechumenum jam credentem retrocedere a fide, priusquam baptizetur, et ideo generali quadam ratione apostata dici possit,

tamen illa apostasia, licet aggravet infidelitatem, non tamen novam malitiæ speciem inducit, ut in fine disputat. 16 notavi: et præterea in ordine ad pœnas et jurisdictionem Ecclesiæ ille non tractatur ut apostata, ut in sequentibus dicam. Et ideo in præsentī solum de infidelibus apostatis primo modo tractamus, quia de illis infidelibus agimus, qui Ecclesiæ jurisdictioni subditi sunt.

Denique advertere oportet ex dictis etiam in superioribus, post baptismum posse aliquem a fide recedere per omnes infidelitatis species, scilicet per paganismum, si ex Christiano Sarracenus, aut idololatra fiat; et per Judaismum, si abnegato Christo Judæus fiat; et per hæresim, si sub nomine christiano fidem Christi, et Catholicam, quam Ecclesia Romana profitetur, ex parte neget. Nihilominus tamen, quia ultimus hic modus apostatandi a fide frequentior est, et specialem rationem culpæ habet, ideo in præsentī tractatu principaliter de hæreticis dicendum est, maxime quoad eorum peccatum; nam pœnæ omnibus istis infidelibus apostatis communes sunt. Dicemus ergo primo de culpa hæresis; deinde de remediis contra hæreticos, quæ coactionem non includunt; ac tandem de pœnis, seu coactione hæreticorum, sub illis omnes infideles apostatas includendo.

SECTIO I.

Quid sit hæresis, præsertim quoad nominis etymologiam et significationem.

1. *Quenam sit hæresis etymologia.* — *Hæresis tam pro electione veræ quam falsæ doctrinæ accipi potest.* — *Definire quid hæresis sit*, ait Augustinus in præfatione ad lib. de Hæresibus, *omnino difficile est*; et ideo paulatim in hac re procedemus, prius nomen, deinde rem ipsam explicando. Igitur de etymologia nominis hæresis multa et varia tradiderunt, tam jurisperiti quam Theologi, ut videri potest in Castro, lib. 1 de Hæresib., c. 4, et lib. 1 de Justa hæretic. punit., c. 1; et Cano, l. 12 de Locis, c. 9; et in Simanc., de Catholicis instit., titulo 30; et in Directorio Inquisit., 2 part., quæst. 1; et ibi Penna, commentar. 26. Et novissime in Farinac., l. 5 Variarum, tract. de Hæresi, q. 178, § 1, a num. 29, usque ad 41, qui multa erudite congerit de hac etymologia. Omissis tamen multis quæ nullo modo ad vocem pertinent,

sed ad rem per vocem significatam, vera etymologia est, vocem hæresim derivatam esse a verbo græco *αἰρεῖν*, quod eligere significat, quia infidelis, proprio arbitrio doctrinam eligendo doctrinæ Ecclesiæ contrariam, in hæresim labitur. Ita tradit Tertullianus, lib. de Præscrip. hæret., c. 6 et 37; et Hieronymus ad Titum 3, et ad Galat. 5, et habetur in cap. *Hæresis*, 24, quæst. 3; idem secutus est Isidor., lib. 8 Etymologiarum, cap. 3; et Rabanus, in lib. de Institut. clericorum, lib. 2, c. 58; et D. Thomas 2. 2, q. 11, art. 1. Et tantorum virorum auctoritas sufficit ad hoc confirmandum, quia est disputatio tantum de voce; præterquam quod etymologia hæc maximam habet proportionem tam cum voce ipsa, quam cum re significata. Unde colligitur ex mente eorumdem Patrum vocem *hæresis* communem esse, tam philosophiæ, quam sacræ doctrinæ, et posse tam in bonam quam in malam partem accipi, id est tam pro electione veræ quam falsæ doctrinæ. Unde inter Philosophos, secta Platonis vel Aristotelis hæresis vocari potuit, et Actor. 5 vocatam legimus hæresim doctrinam Phariseorum, cum tamen in fide non errarent ante Christi adventum, ut sumitur ex eod. lib. Actor., cap. 25 et 26, ubi etiam Paulus profitetur se fuisse Phariseum, tanquam sequens veram de resurrectione doctrinam, in qua Pharisei a Saduceis discrepabant.

2. *Ex usu Ecclesiæ pro electione doctrinæ malæ in materia sacra accipitur.* — Nihilominus tamen usus Ecclesiæ jam obtinuit ut hæc vox sic explicata ad electionem doctrinæ in materia sacra et fidei, et ut in malam partem accipiatur pro electione privatæ doctrinæ, contra catholicam et ab Ecclesia receptam. Cujus consuetudinis optimam rationem reddit Isidor., ex aliis antiquioribus Patribus, quia in doctrina sacra nihil nobis ex nostro arbitrio inducere licet, sed neque eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit: *Apostolos enim Christi*, inquit, *habemus auctores, qui neque ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo doctrinam fideliter nobis tradiderunt.* Sicut ergo propria voluntas in malam partem accipi solet, pro ea quæ culpam involvit, quia hæc sola voluntate fit, et propriis ejus viribus, ita hæresis in malam partem accipitur pro electione illius doctrinæ, quæ ab inventione humana contra doctrinam traditam inducta est, habetque usus hic funda-

mentum in Scriptura; nam ad Galat. 5, inter vitia damnabilia ponitur *secta*, et græce habetur *hæresis*; et ad Titum 3, dicit Paulus hæreticum esse a se ipso damnatum; denotatur autem hæreticus ab hæresi, ut infra dicam, et dicitur esse damnatus a se ipso, quia electione proprii judicii condemnatur, ut 1 ad Corint. 11: *Necesse est*, inquit Paulus, *hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant*; est ergo hæresis reprobationis signum; ergo in malam partem accipitur, quod ex aliis etiam locis Actorum, quæ statim notabimus, accipi potest.

3. *Fides catholica nomine hæresis significari nequit.* — Atque hinc certissimum est (ut a Doctoribus allegatis notatur) catholicam fidem non posse nomine hæresis significari, etiamsi in principio prædicationis evangelicæ a perversis hominibus, ut inquit Hieronymus ad Galat. 5, id est, a Judæis ita fuerit appellata. Unde Paulus, Actorum 24, sic inquit: *Secundum sectam quam dicunt hæresim, sic deservio Patri et Deo meo*; ubi non sine causa interposuit illam particulam, *quam dicunt*, sed ut denotaret non esse ita appellandam, quamvis a Judæis ita nuncuparetur; et c. 28, ubi in Vulgata legimus *de secta hac*, græce habetur *de hæresi hac*; sunt autem illa verba Judæorum, qui nihil divinum in fide Christi credebant, sed humanum inventum esse cogitabant, et ideo hæresim illam appellabant; nullo tamen modo ita vocari potest; et ratio est, quia licet Christiana fides quantum ad assensum a voluntate libera pendeat, ac proinde sine electione credentis non fiat, nihilominus ipsa doctrina fidei non est ex adinventione vel electione humana, sed ex divina revelatione, et voluntas ipsa, qua talis fides eligitur, non est principaliter ex arbitrio humano, sed ex gratia divina, et ideo hæresis vocari non potest; nam hæc vox electionem humanam mere, et doctrinæ ab hominibus inventæ significat. Unde Theophylactus, in id Coloss. 2: *Secundum traditionem hominum: Hæreses*, inquit, *propterea dicuntur, quia humanæ sunt opiniones; Christianorum autem dogma non est humanum, et propterea neque tale nomen consequitur*; et Origenes, apud Pamphylum, in Apolog. pro Origene, ex locis ad Galat., scilicet, et ad Tit. 3, citatis, colligit oportere nos, sicut cætera mala, ita etiam nomen hæresis omnino devitare.

4. *Fides christiana nec secta appellari potest.* — Sed quæret aliquis obiter quid dicendum sit de nomine sectæ; aliqui enim putant